



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Symma Practica Theologiae Mysticae**

**Gelen, Victor**

**Coloniae Agrippinae, 1652**

Articulus Secundus. Quod Transformatio mystica sit duplex, videlicet modi  
descendentis & modi ascendentis; ac quaenam sit modi descendentis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9766**

## ARTICVLVS PRIMVS.

*Quid sit Transformatio mystica propriè.*

**C**VM de propria Transformatione fit sermo, longè absit error quo-rundam, quo opinati sunt, animam hominis à proprio esse desinere, & in ipsam diuinam essentiam transire, sicut etiam ut insufficiens transformatione ha-beatur, qua [agens per intellectum agit per formam intellectus:] & intellectus per intellectuonem transforma-tur, & fit ipsa res non quidem naturæ conformitate, sed representatione: talis enim contingit b in omni operatio-ne intellectuali, & speculativa, nos ergò per propriam transformationem mysticam intelligimus, arctissimam illam vniōnem, in qua per amorem, diuinorum summè amans, vnum fit cum amo-mato, ipso scilicet Deo, vt Summo Bo-no, idque perfectissimo, & substantiæ separatæ maximè conformimodo; quo c reuelata facie gloriam Domini spe-culantes, in eandem imaginem trans-formamur à claritate in claritatē, tan-quam à Domini spiritu; quo ita d'effi-ciamur diuinæ consortes naturæ, non quidem Transformatione substanciali, sed impressiua. [forma enim animæ e Deus est, cui debet imprimi sicut sigillo signatum.] & [sicut fosculo spir-a-men se permiscet, vt vñus anhelitus iudicetur: sic Spiritus Sanctus nostro spiritui dulciter immissus, fit vñus spi-ritus cum eo.] & hoc est illud spiracu-

lum gvitæ, quo factus est homo in-nimam viuentem, de quo etiam Apo-stolus gloriatur, dicens h viuo ego, non iam ego, vniuit verò in me Christus.

Est ergò Transformatio in actuall exercitio, vslus doni habitus sapientiæ, quo mysticus diuinæ factus consors naturæ de claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu, perficitur, & in charitate magis radicatur: ita ut in eiusmodi felicitate inueniatur perfecta ratio possessionis mysticæ; ad quam quidem nihil aliud requiritur, quam ut res ita habeatur præsens, & in po-testate possidentis, ut possit ea vti, & frui pro suo desiderio: & omne com-modum, & oblectamentum ex ea per-cipere, quod ex ea capi potest; sicut fit in auditu symphoniarum; secus in visione pecuniarum. eiusmodi porrò mysticum oblectamentum ad libitum in statu Transformationis ordinariè haberi, cum eius velle, & posse sint idem: dic-tum est iinfra. hic verò consequenter dicemus,

*Quod Transformatio mystica sit duplex, videlicet modi descendentiæ, & modi ascendiæ; ac quænam sit mo-di descendentiæ.*

## ARTICVLVS SECUNDVS.

**D**VPLICEM esse modum transfor-mationis, scil. vnum, quo descendere dicitur

a S. Thomas l. 1. cont. Gent. c. 94. b Ut communiter Philosophi. c z. Cor. 3. d z. Petr. 1.  
e S. Bonav. Proces. 7. Relig. cap. 73. f Harph. lib. 3. part. 3. cap. 24. g Gen. 2. h Gal. 2.  
i Hic art. 3.

dicitur ex alto ad inferiora, per intermedia: & prout Deus est terminus à Quo, intinseca fruitio originem, & spiraculum vitæ haurit: & alterum, quo ab inferioribus per intermedia, ad superiora, & prout Deus est terminus ad Quem; scilicet vota, conatus, & frui-tua quietis appetitus, tendit; ex mysticorum monumentis satis constat. præsertim si obseruetur per verba supremæ a vniōnis, illa esse intelligentia, quæ propria sunt status Transformationis; idque non tantum in actu transeunte; sed etiam in statu permanente.

Itaque b [ sicut lumen diuinum gradatim decrescendo in nos descendit gradatim: ita contrario modo per ipsum lumen in Deum reducimur gradatim & crescendo. vt psalmo 83. dicitur, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.] [charitas enim ad superiora tendit, vt in eis requiescat; ad inferiora tendit, vt ea ad se reducat; sursum mouetur, vt illic maneat, deorsum, vt redeat.] in quorum consideratione cogita catenam varijs contextam luminibus, quasi annulis per totum cœlum diffusam, & ad terram usque porrectam. catena vero hæc est ordo seriesque rerum diuinæ prouidentiarum, parens: series, inquam, lumini partim quidem inuisibilium, partim etiam visibilium. Quia, nimirum [in omnibus Deus noscitur, d' & sine

omnibus: scientiaque Deus cognoscitur & ignoratione: estque eius & notitia, & ratio, & scientia, & tactus, & sensus, & opinio, & visio, & nomen & cætera omnia: & neque intelligitur, neque dicitur, neque nominatur. & nec animo cernitur, nec sub sensu cadit, nec est quidquam penitus eorum quæ sunt.]

Iure merito ergo [detractio[n]es siue negationes, contra, ac affirmatio[n]es laudandæ videntur. illas enim à primis orsi, & ad extrema per media deuenientes, ponebamus. hic autem ab extremis ad prima & principalia ascen-dentes, omnia tollimus, vt sine integumentis cognoscamus ignorantiam illam quæ ab omnibus rebus, quæ scientia comprehenduntur, in ijs quæ sunt, occultatam esse: caliginemque illam cernamus essentia superiorum, quæ ab omni luce, quæ in rebus inest, occu-litur.]

Atque ita [ad summam amorosam, & nobilissimam contemplationem, quæ etiam raptum, & ecclasiæ causat, dupliciter pertingit homo; primò excitando se per abstractionem, f' & per considerationem eorum, quæ magis feruorem prouocare, & patere solent in animo, donec apex voluntatis valida accendatur, ac purè efficiatur in Deo:] sicquæ vertex intelligentiae desuper illustretur ad contemplandum modo præcepto. ad quod Sanctus Diony-

Hh Hius

a ut his supra ex Ioh. à Cruc. b' S. Thom. opusc. de Humil. Christ. post init. c S. Bonav. q. Itin. etern. d. s. art. 3. d S. Dionys. de diu. nom. c. 7. e Idem Theol. Myst. c. 2. f Dion. Carth. de font. lsc. a. 14.

sius respicit dicens: [ tu autem Timo-  
thee charissime, sensus *a* relinque, &  
intelle<sup>t</sup>uales operationes.] Alio mo-  
do [ homo pertinet ad contemplatio-  
nem istam absque suo *b* conamine, &  
præparatione prædicta, dum scilicet  
misericordissimè deluper p<sup>r</sup>æuenitur  
atque diuinitus fortiter illustratur, vali-  
dè inflammatur, gratosissimè p<sup>r</sup>æoc-  
cupatur, ac mirabiliter nimis perstrin-  
gitur, in tantum, ut etiam resistere ne-  
queat: & quamvis velit, non possit ef-  
fugere gratia p<sup>r</sup>ædominante ipsi natu-  
ræ, non violenter, sed conuentientissi-  
mè.]

Fundatur porrò horum modorum  
differentia in dono intellectus, & ma-  
ximè sapientiæ, eò quod [ *c* donum in-  
telle<sup>t</sup>ustus sit propriè penetratum; do-  
num autem sapientiæ sit propriè sap-  
ratum.] hinc etiam uterque modus  
circa primum centrum per consortium  
diuinæ naturæ, circumvolutiones suas  
peragit. & quidem descendens supra  
affirmationem tanquam vitali, & quasi  
connaturali gusto diuinam vitam possi-  
det; in eaque gaudet, & omnia prout  
sunt bona valdè in primo suo princi-  
pio, constringit, & fruendo dilatatur,  
in dilectione crecit, nutritur, & viuit.  
vndē etiam Deum possider ut Termi-  
num à Quo, omnis scilicet sua actualis  
felicitas, egreditur abundantissimè; to-  
tam capacitem spiritus, animæ, &  
corporis adimplens, & nunquam, nisi  
forte per accidens, relapsum ad soleita-

tem spiritus, & carentiam amicabilis  
amicitiat Dei, patiens, ascensus verò  
supra negationem illimitatis viribus, ad  
infinitum Pulchrum, & Bonum, insa-  
tiabili, ac infatigabili modo se erigit,  
extendit, ac magnificat: & Deum vt  
Terminus ad Quem, inexhaustibili  
modo supra omnem viuentem, conci-  
pit, intuetur, ac possidet.

Et quia nemo *d* ascendit in cœlum,  
nisi qui descendit de cœlo: qui enim  
*e* descendit, ipse est qui & ascendit supra  
omnes cœlos ut impleret omnia; prius  
de statu Transformationis modi des-  
cendentis agendum erit. sicut enim  
status vniōnis tanquam primus ascensus  
modi supernaturaliter operandi, post  
rigidam illam priuationem ex toto  
ſabsolutam, mysticum ad summa vñq;  
& ad statum Transformationis eleuat;  
ita modo status Transformationis de-  
scendentis, & maior radicatio in cha-  
ritate, & respiraculo vita æternæ, per-  
seueranter, & sine interrupcione, au-  
relaplu ad soleitatem sui ipsius du-  
rans, statum vniōnis excellit: sicut linea  
centum passuum, lineam decempa-

Transformatio itaque modi decen-  
sum.

dentis est usus in actus exercitio doni  
habitus sapientiæ, quo diuina factus  
consors naturæ de claritate *g* in clarita-  
tem tanquam à Domini spiritu perfici-  
tur, & secundum adiquatam fructu-  
rem dilectionis, & cognitionis sic po-  
test sicut vult, & sic pleno benè in Deo  
affici

*a* S.Dion.Theol.Myst.c 1. *b* Dion.Carth.ibid. *c* S.Bonav.Diatr salutist.6. de 7. den. ſpir. 8.  
*c*, 3. *d* Ioan.3. *e* Ephes.4. *f* ſupra Det. 3. a. 6. *g* 2.Cor.3.

affici vult, sicut potest: idque ordinata intentione maioris radicationis in charitate. & ideo in hoc statu Deus est sicut Terminus à Quo, scilicet respiracum vitæ, seu vitaliter diuinum affici, per actualem vsum charitatis suam originem sumit, vt ex eo, cœu ex viua radice intellectus agens absque ullo negotio, imò summa, & quali innata facilitate species pro Hic & Nunc proportionata desumat, ad formandum verbum mysticum in intellectu patiente, quo usque & huius & illius operationes, per superexcedentem amorem conquentur. idque tam diu, totque annis, donec à summa spiritus regione, per medium, ad infimam, eiusque ultimas abyssos descenderit. vt autem Transformationis descendenter felicitas penitus intelligatur, dicimus consequenter,

*Quod Transformationis modi descendenter velle, & posse cum sint unum, peragantur ordinariè suam mentis excessu.*

#### ARTICVLVS TERTIVS.

**D**Vpliciter [amor diuinus & ecstasis facit, non sinens amatores esse suitoris; sed in ius eorum quæ amantur penitus transferens.] primum quidem, cum ita affectus & cogitatio amantis transfertur in dilectum, vt sui, & rerum suarum obliuiscatur, suaque omnia negligat. tunc enim anima cogita-

tione, & affectu extra se egressa, tota in rebus dilecti versatur, vt iam non in suo corpore, & in se viuere videatur, sed in dilecto. & dilectus in ipsa. hoc modo diuinè dictum ab Apostolo. viuo ego, non iam ego, viuit verò in me Christus. ita enim cogitatione, & affectu erat in Christo, & Christi causa; vt eorum quæ ad sua commoda, honorem, vitamq; pertinerent, prorsus videretur oblitus. Alter modus quo fit Ecstasis vi amoris, est, cum ita mens in Deum per contemplationem, & amorem trahitur, vt functiones virium inferiorum, præserrim sensuum, cessent: sic vt homo nō videat, nec audiat, nec sentiat quidquā, & interdum etiam vitalis facultatis operatio ita intercipiatur, vt vix discerni possit an adhuc viuat. hoc modo multi Sanctorum vi contemplationis, & amoris, perfectam, & mysticam ecstasi passi sunt.

Quia verò etiam absq; amore diuino, sola vi contemplationis huius secundi modi, ecstasis fieri potest; idq; ex imperfectione quadam, & imbecillitate naturæ quando sc. tota eius vis expeditur, & veluti exhaustur circa aliquod obiectum; vel quando vires inferiores destituuntur spiritibus ad functiones earū necessarijs, dum hi omnes sursum trahuntur, vt imaginationi, & contemplationi illius obiecti seruant: nos supra b de Ecstasi fucata, & dolosa; infra c autem de vera, mystica & sancta, ad praxis cautelam dicere voluimus.

Hhh 2

Iam

\* S. Dion. c. 4. de diu. nom. b 1. p. Dec. 7. a. 7 & d. 8. a. 2. c Lcc. 9. a. 4.